



~~11-58.~~

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

11-58.

SIGNAT. MDLCCCLXIII.

PROGRAMMA
IN FESTO
ARCHANGELI MICHAELIS,

QVO
ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS
RECTOR,
GEORG. CHRISTOPHORVS
DETHARDING,

PHIL. ET MED. DOCT. HVIVSQVE PROF.
DVCAL. PVB. ORD.

DE
ANGELORVM
BONORVM OFFICIO,
PIAE IMITATIONIS
SPECVLO,

DISSERENS,
CIVES ACADEMICOS
AD ΞΑΡΤΗΡΙΑΣ ΣΤΥΔΙΩΝ INVITAT,
ET PRO OFFICII RATIONE SERIO
COHORTATVR.

ROSTOCHII,
Typis IOANNIS IACOBI ADLERI, *SERENISS. PRINCIPIS*
& ACAD. Typographi,



Archangeli Michaelis tenens ut pia ani-
mi reuerentia celebretis. Cuius Optimi, pro
officii, quod sustineo, Rectoralis ratione ex-
citandi a me estis & exacuendi. Meditanti
autem mihi, ac identidem cogitanti, quo
potissimum argumento animos vestros ad
cultum DEO placentem commoueam, pla-
cuit Angelorum bonorum officium, ceu
piae imitationis speculum, ob oculos no-
bis ponere omnique mentis acie lustrare. Per partes hic cum sit
eundum, omnium primo, quibus momentis Angelorum officium
absoluatur, expendentis, & deinceps de nostro Angelos imitandi
studio paucis praecipimus. In Angelorum officio ea esse praeci-
pua, quibus suam erga DEVM reuerentiam sanctissimi beatorum
spirituum chori testentur, dubio carere, existimo. Quod si vero
sacrarum litterarum testimonia hic consulimus, Angelorum erga
DEVM officium ad tria capita commode reuocari posse, cognosce-
mus. Primum sibi vindicat locum *paradisus*, qua gloriosa sanctis-
simorum Angelorum cohors laudes DEI sine intermissione cele-
brat, suauissimisque concentibus decantat. Sic enim Seraphim,
quo nomine omnes Angelorum bonorum legiones promiscue ve-
nire possunt, *τρεῖς ἄγιοι* istud: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Iehova,*
DEVS

DEVS *Zebaoth* ! *plena est omnis terra gloria eius* ; cantitasse & trina voca-
 cabuli sanctus repetitione totius sacro-sanctae Trinitatis, Patris,
 Filii & Spiritus Sancti immensam & infinitam sanctitatem deprae-
 dicasse leguntur Ies. VI. v. 3. Quamvis vero Angeli, quotquot in
 concreata sapientia, iustitia & sanctitate perfluerunt, & iam in bono
 confirmati sunt, sine ulla coactione aut exstimulatione necessaria,
 sed sponte & vltro laudes summi NVMINIS celebrent : ipsorum
 tamen, quod DEO praestant, officium, non est indebitum, sed
 maxime debitum. Hinc sanctissimus Psalter hoc laudis & bene-
 dictionis officium ab Angelis requirit grauissimis verbis : *Benedi-
 cite*, inquit, *IEHOVAE Angeli ipsius, potentes robore* : - - -. *Benedicite
 IEHOVAE omnes exercitus eius*, Pf. CIII. v. 20. 21. Ipsa rei natura, &
 vsus loquendi in Scriptura passim obuius satis ostendit superque,
 hoc benedictionis genere quid indigetetur. Quemadmodum enim
 vox benedictionis filio Scripturae praestantiam, dignitatem & ex-
 cellentiam non raro denotare solet ; ita DEVS dicitur benedictus,
 quoniam praestantia, excellentia atque maiestate, omnibus nume-
 ris absoluta, & nullis perfectionum terminis circumscripta, gaudet,
 omnemque beatitudinem plene possidet. Angelos itaque quando
 diuinus Psalter inuitat, vt DEO benedicant, (non quidem vt im-
 peret, quod Angeli vel non faciant, vel segniter peragent, sed vt
 debitum ipsorum officium esse doceat, quod semper & sine inter-
 missione praestant,) ostendit, Angelorum esse DEI excellentiam,
 maiestatem & beatitudinem agnoscere, laudare, depraedicare.
 Eodem tendit dictus Propheta carmine laudis diuinae plenissimo
 scribens : *Laudate eum (IEHOVAM) omnes Angeli eius*, Pf. CXLVIII.
 v. 2. In primis vero notari meretur, Angelos hoc laudis officium
 statim ab initio creationis DEO praestitisse, & in omnem aeterni-
 tatem idem praestituros. Prius confirmat oraculum diuinum, quo
 IEHOVA ipse ex nube procellosa Iobum allocutus est Iob. XXXVIII.
 v. 4. 7. *Vbi fuisti*, inquit, *cum fundarem terram* ? - - -. *Cum canerent
 simul stellae matutinae & clangerent omnes filii DEI* ? Per stellae autem
 matutinas & filios DEI hoc loco non nisi Angelos intelligi, ipsi-
 us aetatis nexus ostendit, & praestantissimorum interpretum indu-
 stria dudum demonstrauit. Posterius, hoc nempe Angelorum of-
 ficium per innumerabiles saeculorum myriadas duraturum, tum
 ex felicissimo Seraphicorum spiritu statu patescit, tum lucu-
 lentis sacrarum litterarum testimoniis comprobatur, Conf. Apoc.

V. v. 11. 12. 13. 14. Huic *ψαλμωδίας* officio, quod Angelorum
sanctorum caterua DEO exhibet, affinis est illa *λατρεία*, qua totus
Angelorum bonorum exercitus humillima veneratione DEVM
adorat. Ab Angelis hunc cultum DEO exhiberi, ex multis Scri-
pturae dictis colligitur. Vt testimonia in Apocalypsi, mysterio-
rum abstrusorum plenissima, & alibi Scripturarum passim obuia,
non tangam, prouocabo tantum ad loca Ies. VI. v. 2, Pf. XCVII.
v. 7. Praesertim vero thesis nostra corroboratur ex Ebr. I. v. 7,
quod effatum clare satis ostendit, etiam humanae Christi naturae,
in *ὁμοειότητι* Filii DEI receptae, & infinitis donis ex communica-
tione idiomatum instructae, cultum adorationis religiosae exhib-
endum esse; & ab Angelis re ipsa exhiberi; quare etiam ma-
gnus ille gentium doctor, Paulus, disertè adfirmat, in nomine
IESV exaltati (status vero exinanitionis & exaltationis formaliter
ad solam humanam naturam referendus est) flecti debere omne
genus supracoelestium, Phil. II. v. 10. Sed progredimur ad aliud
quoddam officium, quod Angeli DEO praestant, & in *λατρείᾳ*,
siue promptissima voluntatis diuinae executione, ponitur. Hoc
euincunt varia Scripturae sacrae loca. Sic enim Angeli vocantur
potentes robore, facientes verbum IEHOVAE, obediendo voci verbi ipsius;
vocantur *ministri IEHOVAE, facientes voluntatem ipsius*, Pf. CIII. v. 20.
21. Nec minus Propheta Daniel Angelos, circa thronum DEI in
visione quadam prophetica conspectos, quoad numerum fecisse
innumerum describit, eorundemque *λατρευόντων* adstruit dicens:
Mille millia ministrabant ei; & decies millies decem millia coram eostabant.
Dan. VII. v. 10. Sunt quidem illi subtilitatum magistri, Schola-
stici, & nonnulli, horum vestigia legentes, & Pontificiorum nu-
meri doctores, qui τὸ ministrare & altare pro diuersis Angelorum
officiis habent, & distinctionem inter *Assistentes & Ministrantes* An-
gelos constringunt, acsi illi sint quasi apparitores & affectuae, DEO
adstantes eiusque mandatata immediate accipientes; hi vero
iussa DEI per Assistentes demum percipiant, & ad varias legatio-
nes obeundas, variasque actiones peragendas emittantur. Tantum
autem abest, vt ex hoc Danielis effato duplex Angelorum officium
extorqueamus, vt potius adstipulemur B. GELERO, magni no-
minis Commentatori, qui hoc Danielis comma explicaturus ita fa-
tur: *Loco prioris verbi, ministrabant, aliud ponitur, stabant, quod haud*
haud

haud dubie eiusdem cum altero est valoris, ita et scilicet sit distinctio Potestatum in Angelos vel Assistentes, vel Ministrantes. Ut alia argumenta, quibus confecta illa distinctio subverti queat, silentio praeteream, labefactat eandem quoque Apostolus Paulus, omnes omnino Angelos *λατρευτικά πνεύματα*, administratorios spiritus, vocans Ebr. I. v. 14. Hinc B. ROLLAZIVS in Examine Theol. Acroamat. Part. I. Cap. IV. Qu. 17. p. m. 427. scite scribit: *Ministrant Angeli assistendo, & assistunt ministrando: sicut minister stat coram Principe, cuius iussa executurus.* Conspicitur *vera* haec Angelorum *λατρευτικά* in illis praesertim actionibus, quae ad CHRISTVM, Salvatorem nostrum, tam in statu exinanitionis, quam exaltationis pertinent. Nonne Angelus Gabriel Christi conceptionem & natiuitatem virgini Deiparae annunciauit? Luc. I. v. 31. seqq. Nonne Angelus de miraculo hoc partu Iosephum diuinitus admonuit? Matth. I. v. 20. 21. Nonne Angelus laetum nuncium de natiuitate Christi primum intimaui? Luc. II. 9. 10. 11. 12. Nonne totus Angelorum exercitus communem istam salutem carmine celebrauit? ib. v. 13. 14. Nonne Angeli Christo, tentato quidem, sed victori, ministrarunt? Matth. IV. v. 11. Nonne Angelus Christum patientem confortauit? Matth. XXII. v. 43. Et, ut ea quoque tangamus, quae ad statum exaltationis Christi referuntur. Nonne Angeli resurrectionem Christi primum manifestarunt? Matth. XXVIII. v. 6. Marc. XVI. v. 6. Luc. XXIV. v. 4. 5. 6. Nonne Angeli adscensionis Christi in coelos adstiterunt? Act. I. v. 10. Nonne Angeli in die nouissimo & extremo iudicio aduentanti Filio hominis, Regi ac Iudici, sunt inferuituri, tum deductione honorifica & comitatu glorioso, Matth. XXV. v. 31., 1 Theff. IV. v. 16., 2 Theff. I. v. 7., tum aliis actibus, iussu Christi peragendis, veluti iudicandos congregando, Matth. XXIV. v. 31., congregatos separando, Matth. XIII. v. 49., separatos ad πῦρ destinatum deducendo, pios quidem ad aeternam resurrectionem, 1 Theff. IV. v. 17, impios vero ad cruciatus, absque fine duraturos? Matth. XIII. v. 41. Potiora Angelorum officia, DEVM Trinunum & humanam CHRISTI naturam respicientia, haecenus exposuimus. Sequuntur iam illae operationes ministeriales, quas Angeli boni immediate hominibus praestant. Has vero actiones mediate etiam DEVM respicere, vel inde patet, quod Angeli boni ex DEI mandato hominibus inferuiunt, & quaecunque generi humano exhibent, ea omnia ultimo ad DEVM referunt & in laudem

baud dubie eiusdem cum altero est valoris, ita ut scilicet sit distinctio Pon-
 tificiorum in Angelos vel Assistentes, vel Ministrantes. Ut alia argumen-
 ta, quibus confecta illa distinctio subverti queat, silentio praeter-
 eam, labefactat eandem quoque Apostolus Paulus, omnes omnino
 Angelos *ἁγέμενα πνεύματα*, administratorios spiritus, vocans
 Ebr. I. v. 14. Hinc B. HOLLAZIVS in Examine Theol. Acroa-
 mat. Part. I. Cap. IV. Qu. 17. p. m. 427. scite scribit: *Ministrant An-
 geli assistendo, & assistunt ministrando: sicut minister stat coram Principe,
 huius iussa executurus.* Conspicitur vero haec Angelorum *ἁγέμεια*
 in illis praesertim actionibus, quae ad CHRISTVM, Salvatorem
 nostrum, tam in statu exinanitionis, quam exaltationis pertinent.
 Nonne Angelus Gabriel Christi conceptionem & natiuitatem vir-
 gini Deiparae annunciauit? Luc. I. v. 31. seqq. Nonne Angelus
 de miraculoso hoc partu Iosephum diuinitus admonuit? Matth. I.
 v. 20. 21. Nonne Angelus laetum nuncium de natiuitate Christi pri-
 mum intimauit? Luc. II. 9. 10. 11. 12. Nonne totus Angelorum exer-
 citus communem istam salutem carmine celebrauit? ib. v. 13. 14.
 Nonne Angeli Christo, tentato quidem, sed victori, ministrarunt?
 Matth. IV. v. 11. Nonne Angelus Christum patientem confortauit?
 Matth. XXII. v. 43. Et, ut ea quoque tangamus, quae ad statum ex-
 altationis Christi referuntur. Nonne Angeli resurrectionem Chri-
 sti primum manifestarunt? Matth. XXVIII. v. 6. Marc. XVI. v. 6.
 Luc. XXIV. v. 4. 5. 6. Nonne Angeli adscensionem Christi in caelos
 adfiterunt? Act. I. v. 10. Nonne Angeli in die nouissimo & extre-
 mo iudicio aduentanti Filio hominis, Regi ac Iudici, sunt inserui-
 turi, tum deductione honorifica & comitatu glorioso, Matth. XXV.
 v. 31., 1 Thess. IV. v. 16., 2 Thess. I. v. 7., tum aliis actibus, iussu
 Christi peragentis, veluti iudicandos congregando, Matth. XXIV.
 v. 31., congregatos separando, Matth. XIII. v. 49., separatos ad πῦρ
 destinatum deducendo, pios quidem ad aeternam refectionem,
 1 Thess. IV. v. 17, impios vero ad cruciatus, absque fine duraturos?
 Matth. XIII. v. 41. Potiora Angelorum officia, DEVM Trinumum
 & humanam CHRISTI naturam respicientia, haecenus exposuimus.
 Sequuntur iam illae operationes ministeriales, quas Angeli bo-
 ni immediate hominibus praestant. Has vero actiones mediate
 etiam DEVM respicere, vel inde patet, quod Angeli boni ex
 DEI mandato hominibus inseruiunt, & quaecunq; generi huma-
 no exhibent, ea omnia ultimo ad DEVM referunt & in laudem

atque gloriam nominis diuini peragunt. Quod vero DEVS pro voluntate sua liberrima, & suauissima prouidentiae suae dispositione ministerio Angelorum in salutem & commodum hominum vitatur, euincunt luculentissima Scripturae testimonia. Prodeat in medium Paulus, hoc Angelorum in respectu ad homines ministerium, quod *δακρυϊκας* nomine exprimi solet, Ebr. I. v. 14. his adstruens verbis: *Nonne omnes* (Angeli boni, quorum in v. 13. & aliis commatibus praecedentibus facit mentionem) *sunt spiritus ministratorii, emissi propter eos, qui hereditaturi sunt salutem?* Solatii plenum etiam est oraculum diuinum ex Ps. XCI. v. 11. 12., (quod autem à Diabolo, CHRISTVM tentante, mutilate adducitur, Matth. IV. v. 6. Luc. IV. v. 10. 11.) quemlibet pium de fauore DEI gratuito, & praesidio Angelorum bonorum praesentissimo certum reddens, & quoad integra verba hunc in modum fluens: *Angelis suis praecipiet de te, ad custodiendum te in omnibus uis tuis: Qui super manus portabunt te, ne forte impingas in lapidem pedem tuum.* Multa quidem ex testimoniis, iamiam excitatis, possent erui in nostram aedificationem pariter ac consolationem. Ob temporis autem & paginae angustiam tantum monemus, in locis allegatis Angelorum bonorum praesidium ad hominos pios restringi, id quod etiam fieri videmus Ps. XXXIV. v. 8. Non quidem negabimus, quod DEVS, pro infinita sua longanimitate conuersionem hominum expectans, etiam impios interdum praesidio Angelorum bonorum cingat, circumvallet atque tueatur. Primario tamen atque principaliter Angelorum bonorum custodiam ad pios & fideles pertinere, certa animi persuasione existimamus. Ut vero, qua ratione Angelorum bonorum operationes erga homines se exerant, cognoscamus, notandum, quod illae partim ad singulas personas, partim ad vniuersum hominum coetum, per omnes status hierarchicos diffusum, spectent. Ad operationes Angelorum bonorum ministeriales, singulas in indiuiduo personas respicientes, quod attinet, spiritus hi praesidarii partim in vitae ingressu, tenerrima infantia, & primo aetatis flore pios tuentur, Matth. XVIII. v. 10; partim in vitae progressu saeua pericula & funesta fata ab ipsis arcent atque depellunt, Ps. XCI. v. 11. 12.; partim in vitae egressu animas hominum, fide finali CHRISTO adhaerentium, in caelum deportant, Luc. XVI. v. 22. In quantum vero operationes illae ad quemlibet statum hierarchicum

chicum referuntur, omnes sane hierarchias Angeli boni sibi habent commendatas. In statu Ecclesiastico Angeli boni id agunt, ut ministerium verbi divini promoveant, Deut. XXXIII. v. 2. Gal. III. v. 19. Act. VII. v. 53.; doctoribus, causam DEI strenue agentibus, auxilio adsint, Zach. III. v. 7; idololatriam omni, quo fieri potest, modo profigent, Ep. Judae v. 9; coetibus sacris intersint, I Cor. XI. v. 10. Statui etiam Politico Angeli boni maxima adferunt commoda. Modo enim impediunt, quo minus vincula Reipublicae rumpantur, Dan. X. v. 13; modo piis Imperantibus contra hostium insultus subsidio veniunt, 2 Reg. XIX. v. 35. Ies. XXXVII. v. 36; modo pios aularum Ministros à periculis imminentibus tutos praestant, Dan. VI. v. 22. Nec desunt, quae ad statum Oeconomicum referantur Angelorum bonorum operationes ministeriales. Testantur enim scripturae loca, Angelos piorum coniugia promovere, Gen. XXIV. v. 7, rem familiarem custodire, Job. I. v. 10, liberos, dulces coniugum fructus, & casa pignora, protegere, Matth. XVIII. v. 10. Sed de his satis, aut plus satis.

Restat, ut, qua ratione hoc Angelorum bonorum officium nobis piae imitationis speculum esse possit, paucis ostendam. Vos itaque, Vos, Cives Academici, mea compellat oratio, & ut Angelorum bonorum officium, quantum quidem humanae conditionis fragilitas & imbecillitas id patitur, imitando exprimat, quam possum diligentissime adhortor. In ipsis enim sacris litteris Angelorum obedientia nobis in exemplum, quod imitemur, proponitur, Matth. VI. v. 10. Cognovistis Angelorum esse hymnis DEVM celebrare. In hoc ut Angelorum bonorum exemplum sequamini, allaborate. Absit à Vobis, & longissime absit peruersa quorundam consuetudo, qui in cenopoliis atque cauponis vino potinque inebriante obruti, noturnis boatibus, inconditis clamoribus & cantilenis meretriciis atque scandali plenis DEVM ad iram provocant, & pias aures offendunt. Memores potius estote admonitionis Apostolicae: *Ne inebriemini vino, in quo est insana vita; sed impleamini spiritu. Loquentes vobis ipsis psalmis & hymnis & canticis spiritualibus, canentes & psallentes in corde vestro Domino*, Ephes. V. v. 18. 19. Adeste porro animis, & humillimam istam adorationem, qua Angeli boni DEVM venerantur, vobis in imitationem proponite. Sint vobis templa, publico DEI cultui dicata, domus
pre-

precationis, Ief. LVI. v. 7. Sint vobis corda vestra istiusmodi domicilia, in quibus Spiritus precum habitet, & gemitibus innarrabilibus pro vobis interpellat, Rom. VIII. v. 26. Perpendite promptum Angelorum obsequium, quo voluntatem sanctissimi NVMINIS exequuntur, & ad illud mores vestros componite, DEVS quidem operatur in vobis tam velle, quam perficere pro beneplacito, Phil. II. v. 13. Cavete autem, ne operationi divinae malitiose & pertinaciter opicem ponatis, sed estote intelligentes, quatenus sit voluntas Domini, Eph. V. v. 17. Attendite tandem ad operationes Angelorum ministeriales, quibus hominum commoda promovere nituntur, & inde, quae vestra erga proximum sint officia, perdiscite. Omnem navate operam, ut in officiis caritatis & humanitatis exercendis honesta quadam aemulatione cum proximo contendatis. Hoc etenim pacto homo homini fit Angelus. O ter & quater beatos nos, si Angelorum bonorum officium, seu piae imitationis speculum, nobis perpetuo ante oculos versatur! Quid nomine Christiano magis dignum, quam in hac vita eos imitari, quibus post mortem similes reddi cupimus in gloria? Angelorum memores considerate, quanta Seraphici spiritus gaudeant felicitate, quantis intersint luminibus, quantis fruuntur bonis; haecque meditatio excitet in vobis pium Angelos imitandi studium, & desideria DEO placendi sanctissima, incitatissima, flagrantissima. Hoc facto Angelorum super vos plausus consequimini, iubila propagabitis, triumphos adornabitis. Faciamus, Cives Academiae Suavissimi, faciamus Angelis atque beatis coelitis haec gaudia. Efficiat vero Angelorum & omnium nostrum supremus Dominus, ut nos, hoc vitae spatium emensi, inter coelites summa illa ac sempiterna beatitudine perfruamur, ut vere *ἰσάγγελοι* euadamus, ut cum uniuerso Seraphicorum spirituum choro in saeculorum saecula DEI laudes celebremus, eius maiestatem veneremur, ipsique seruiamur sine fine. AMEN.

P. P. sub Sigillo Rectorali Academico
in Felto Archangeli Michaelis
A. O. R. MDCCXXXV.



Ung. VI 58. (1)

ULB Halle

3

002 686 287



56,

VD17
Sep. 2000 Pcl.



37.

2

PROGRAMMA
IN FESTO
ARCHANGELI MICHAELIS,

QVO

ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS

RECTOR,

GEORG. CHRISTOPHORVS
DETHARDING,

PHIL. ET MED. DOCT. IVIVSQUE PROF.
BYCAL. PVB. ORD.

DE

ANGELORVM
BONORVM OFFICIO,
PIAE IMITATIONIS
SPECVLO,

DISSERENS,

CIVES ACADEMICOS

AD ΙΣΑΓΓΕΛΙΑΣ ΣΤΥΔΙΩΝ ΙΝΒΙΤΑΤ,

ET PRO OFFICII RATIONE SERIO
COHORTATVR.

ROSTOCHII,

Typis IOANNIS IACOBI ADLERI, *SERENISS. PRINCIPIS*
& ACAD. Typographi,

2

AT
HOR
igiu
e di
SE
fui
DO
de a
AE
e di
elef
aua
EO
citu
n.
era
ne
dur
fici
enf
vir
KV

